



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.2. Præsentem lacessit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

immineret Angelis, hominibus, cælo, terrisque, optanda sit totius latè mundi ruina, præ unius vel levissimæ in Deum injuriæ offensione. Quid ergò statuemus de immanibus, nefariisque flagitiis, quæ tam facilè admittimus, tot & tantis? Hunc tu furorem animo putas posse complecti? *Peccatum est inhonorare Deum; quod non debet facere homo, etiamsi totum pereat, quod non est Deus.* [Augustinus.] Vim expende sententiæ; nec dici potuit amplius; nec dici debuit minus.

§. 2. *Præsentem laceffit.*

Age, quoniam hoc cepimus, nunc illud meditare: quod non solum tantus Deus offenditur; sed præsens quoque, ac coram illuditur. Non ignoramus, in ipso nos vivere, moveri: & esse: non nescimus, ejus oculum omnia penetrare, nec longè ab unoquoque nostrum abesse: (Act. 17.) nihilominus audemus; & quasi insultantes tantum non dicimus: Etiam si rebus meis inter sis, notes, oculis cuncta designes; scelus hoc infigam ante ora: neque est mihi curæ, quòd doleat, quòd te acerbissimè torqueat. Approbante improbante, æquo atque iniquo aggrediar, ac complebo. O intolerandam insolentissimæ mentis audaciam! Tu hæc in
De-

Deum, ô vermis! ô pulvis! ô nihil! *Quare, quare locum, ubi te non videat, & fac quod vis.* (*Augustinus.*) sed non invenies, nam & ardente lucernâ videt te; videt & extinctâ, donique vivis intra Deum.

§.3. *Immortalens ad mortem deposcit.*

Impudentem vidisti, cognosce impium, Parum est, in oculis fecisse divinis: novum scelus molitur, parricidium Dei. Immortalem ad mortem exitiûmque deposcit; & novus hic Herodes perditum cupit non infantem in stabulo, sed regnantem in cælo. Non placet sceptrum & potestas in vindice. Exturbetur à folio, si potest: sed hoc non potest; furit tamen, odit nimium potentem, arcer procul ab animo, quantum in se est extinguit, dum charitatem in se interficit; in quam, tanquam in divinam imaginem, (quia corpus lædi nequit) exasperata tigris insolenscit. Non sum ego qui hæc dico. *In ipsum* (*horribile dictu*) *deservire rectorem & authorem,* ait Bernardus. (*Serm. 3 de Resurrect.*) Nam, *quantum in ipsa est, ipsum Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet, Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo, Deum non esse Deum, &c. Crudelis planè & execranda mali-*